

I. Georgii Altmanni [...] exercitatio historico-critica : de tesseris Badae Helvetiorum erutis

Autor(en): **Altmannus, J. Georgius**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1752)**

Heft 26

PDF erstellt am: **13.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394721>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

J. GEORGII ALTMANNI

Linguae Graecae in Academia Bernensi.

Professoris


EXERCITATIO

HISTORICO-CRITICA,

DE TESSERIS

BADÆ HELVETIORUM

ERUTIS.



V I R O

Excellentissimo atque Illustrissimo

ANTONIO RENATO DE VOYER,
MARCH. A PAULMY D'ARGENSON,
VICE COMITI A MUZAI &c. &c.

REGII AC MILITARIS ORDINIS S. LUDOVICI
PRIMO EQUI TI ET ARCHI-CANCELLARIO.
CHRISTIANISSIMI REGIS APUD UNIVER-
SOS HELVETIOS EORUMQUE SOCIOS LE-
GATO. ACADEMIÆ REGIÆ GALLICÆ UNI
EX QUADRAGINTA VIRIS. NEC NON ACA-
DEMIÆ REGIÆ BORUSSICÆ ET ROMANÆ
ADSCRIPTO.

S. P. D.

J. Georgius Altmannus.

*D*Udum exoptaveram dari aliquam opportunitatem,
qua grati pectoris motus, quibus me inde ab illo
tempore, quo TE VIRUM ILLUSTRISSIMUM vide-
re, Tuoque frui alloquio datum fuit, non agnoscere tantum
grato animo mecum tacitus, sed & declarare & effun-
dere publice possem. Liceat ergo miki mentis meæ can-
didus

didos sensus aperte significare. Obtigit mihi adire Virum non Natalibus tantum & Muneribus Amplissimis in maximo rerum humanarum fastigio constitutum, sed qui Humanitate, Eruditione & Ingenio tantum antecelleret reliquos, quantum accepto à Maximo Regum Gradu & Dignitate. Stupebam Virum audire modo ad florem ætatis accedentem, non tantum rerum experientia subactissimum, sed per omnes Scientiarum classes & humanarum inprimis, quibus magni Viri præ reliquis caput extollunt & famam per orbem spargunt, ita absolutum & perfectum, ut inter faustissimos vitæ meæ dies illos numeraverim, quibus obtigit mihi Magni Viri non favore tantum & benevolentia, sed eruditissimis & facundissimis uti sermonibus. TE ideo VIRUM EXCELLENTISSIMUM causæ meæ exoro Arbitrum & Judicem, at que ad Tuum tribunal hæc mea adfertur Exercitatio: Tuo stabit aut cadet iudicio sententia mea. Faxit Deus Opt. Max. ut diu rebus humanis intersis, & non nisi consummatis per longam annorum seriem Doctrinæ & Sapientiæ monumentis in Cælum abeas. Vale VIR ILLUSTRISSE mihique fave. Scripsi Bernæ VII. Iduum Septembris, MDCCL.

EXERCITATIO
 HISTORICO - CRITICA
 DE TESSERIS
 BADÆ HELVETIORUM
 ERUTIS.

ARGUMENTUM.

§. I. **Q**uæstio tractanda proponitur, atque Tesseræ illæ breviter describuntur. §. II. Badenses Tesseræ non in illa terra natas, sed arte fuisse factas, prima ratio adfertur. §. III. Objectio eorum, qui ad lusum naturæ decurrunt, confutatur. §. IV. Tesseræ illas esse osseas ex analysi chymica probatur. §. V. Alia adhuc ratio, quod in illa terra produci non potuerint, producitur. §. VI. Nova objectio, quæ pro naturali Tesserarum Badensium productione à quibusdam allegatur, etiam confutatur. §. VII. Aliæ adhuc objectiones examinantur & confelluntur. §. VIII. Objectio de corporibus naturâ suâ cubiformibus examini subicitur. §. IX. Quæstio, an Tesseræ ex ossibus factæ per tantum temporis spatium in terra perdurare potuerint, solvitur. §. X. Origo Tesserarum ad tempora Romanorum referenda est. §. XI. Thermæ Badenses sunt antiquissimæ, ibique thermæ olim conditæ, in quibus pro consuetudine Romanorum Tesseris ludebatur. §. XII. Antiquitas Thermarum Badensium ex Tacito probatur. §. XIII.

§. XIII. Locus Taciti illustratur. §. XIV. Antiqua Inscriptio de templo Isidis profertur. §. XV. De cultu Isidis differitur. §. XVI. Rationes, quare Badæ templum Isidi fuerit positum exponuntur. §. XVII. Balneum publicum, quod hodie S. Verenzæ nomen habet, olim Isidi consecratum, probatur. §. XVIII. Quis fuerit ille Anusius Magianus, conditor templi Isidis, differitur. §. XIX. Reliqua antiqui lapidis exponuntur. §. XX. Antiquitates locorum in confiniis Badæ exponuntur. §. XXI. De Vindonissæ prisco splendore quædam afferuntur. §. XXII. Tabernas lusorias sæpius fuisse destructas probatur. §. XXIII. De Tesseris Tiguri & Certiaci inventis differitur. §. XXIV. Objectionibus quibusdam occurritur.

§. I.

Vetus est quæstio, & multorum agitata disputationibus, ad quam originem & ætatem Tesseræ, Badæ Helvetiorum erutæ deferendæ sint: Hoc equidem pro certo non constat, quoniam tempore & à quo in eo loco, ubi hodiernum adhuc passim tesseræ eruuntur, primo fuerint inventæ; hoc autem satis certum & definitum, jam ante centum & quod excurrit annos, in eodem illo loco, qui hodiernum adhuc *Tesserarum pratum* vocatur, tesseras fuisse inventas. Sunt autem illæ Tesseræ lusoriæ hodiernis in omnibus similes, cubum vel hexaedrum exhibentes, hac tamen distinctione notabiles, quod paucæ ad illam magnitudinem accedant, quæ nostro tempore tesseras lusoriis à tesserarum confectoribus tribui solet, quod optime notavit Cl. *Johannes Scheuchzerus*, in erudita de Tesseras Badensibus dissertatione *Tempe Helvet.* Tom. VI. p. 368. in qua autem id tantum sibi probandum proposuit, tesseras illas artis, non naturæ opus esse; Fecit autem id Vir spectatissimus, ut vulgarem & ineptam multorum opinionem, esse illas tesseras naturæ per varias formas se se exhibentis lusum, destrueret, quod etiam à Viro Cl. præstitum, ut nemo sanus ad hanc dehinc delabi possit sententiam, naturam ope sua ad tesserarum productionem aliquid contulisse. De illarum autem magnitudine ita differit Vir modo laudatus, §. VI. *Et quidem, quod earum spectat magnitudinem, notandum, quod plerumque tesseræ illæ duas lineas Parisinas, quarum duodecim pollicem unum regium recte conficiunt, longitudine, latitudine & altitudine non excedant.*

Obiter

Obiter autem hoc loco monendum, quod tales tesseræ lusoriæ non tantum Badæ Helvetiorum, sed etiam Tiguri; in loco edito, tiliis consito, ubi quondam Romanorum situm erat castellum, & Certiaci, qui vicus est tribus leucis Bada distans, & hodiernum *Zurzach* denominatur, fuerint repertæ, hac tamen adhibita distinctione, quod Badæ longe major tesserarum copia, quam autem in reliquis duobus locis fuerit inventa. Duo autem in hac exercitatione mihi agenda videntur, & primo quidem docendum, non natura sed arte factas esse Tesseras diversis in locis detectas, & posthæc usus & origo illarum ex antiquitate investiganda erit.

§. II.

Si jam in rationes inquiramus, quæ nos non tantum persuadere, sed evictis rationibus certos reddere possunt, tesseras illas arte quadam olim fuisse paratas, plurima habebimus, quæ crassi erroris omnes convincunt, qui indocta credulitate se induci passi sunt, naturæ viribus tesseras in terra natas fuisse: Atque generalis quidem hæc est, quod in omnibus naturâ concretis corporibus tanta ubique compareat in forma & magnitudine discrepantia, ut licet ex eadem materia sint formata, inter mille tamen duo inveniri non possint, quæ in omnibus eandem servant & exhibeant formam, & plenariam similitudinem: Dudum etiam à Physicæ doctoribus observatum, in ingenti congerie lapillorum ex eodem monte vel terra profunda erutorum, qui tamen ex eodem terræ succo in durius corpus coaluerunt, duos inveniri non posse, ean-

eandem formam & magnitudinem referentes ;
 Hæc ut in lapidibus aliisque ex terræ succis pro-
 ductis corporibus vera sunt, ita certe etiam ve-
 ra esse in omnibus herbis, arboribus & plantis,
 dudum comprobarunt doctrinæ naturæ doctores
 & antistites, ita ut non tantum omnes arbores
 & frutices ejusdem speciei diversam exhibeant
 formam, qua ab aliis ejusdem speciei possunt di-
 stingui, sed quod ne in eadem arbore duo folia
 inveniri possint, sibi in omnibus perfecte simi-
 lia: Cum autem hæc dudum omnium Physico-
 rum consensu sint comprobata, ratio nulla in-
 veniri potest, quare terræ aliquo succo tanta tes-
 serarum produci posset copia, in qua vel acutis-
 simus ne minimam quidem detegere posset diver-
 sitatem & discrepantiam.

§. III.

Ut autem generalis hæc, contra formatio-
 nem tesserarum observatio quibusdam ad sen-
 tentiam nostram stabiliendam, non satis valida
 videri possit, pluribus adhuc aliis, iisque certis
 argumentis exhibebimus, ad artem, nullatenus
 autem ad naturam, hac in re decurrendum esse.
 Damus equidem, plura erui è terra, quæ for-
 mæ & structuræ raritate se nobis commendant,
 ut sunt conchæ, cornua, atque conchylia varii
 generis, qualia in Cimeliarchæis naturæ curioso-
 rum inveniuntur plurima: Sed eadem hæc nobis
 facta objectio talis est, ut nostram de tesseris
 Badensibus confirmet sententiam: quis enim est,
 qui ex his omnibus duos lapides videat sibi
 in omnibus æquales? Et licet ponamus, rem
 esse

esse possibilem, naturam posse tales cubos formare plurimos & fere innumeros, sibi in omnibus æquales; quis est qui simul asserere audeat, naturam non cubos tantum hosce vel tesseras tam affabre similes formasse, sed etiam puncta ita exactissime signata, ut latus punctula sex exhibens, respondeat lateri uno tantum puncto signato, & latus quinque numeros signans ex adverso latere habeat duo, atque illud quod quatuor inscripta habet puncta in opposito referat tria, ut id in tesseris priscis & hodiernis observatur? Hinc certe exigua in rebus naturalibus opus est cognitione & experientia, ut cognoscamus artificis manu factas atque paratas fuisse tesseras istas Badenses, si enim ad examen chymicum vocentur, suam produnt naturam & substantiam, prunis enim ardentibus injectæ, ingratum plane odorem statim emittunt, qualem ossa omnia igni injecta edere solent: hinc experimento facto, duæ acerræ in duobus conclavibus prunis ardentibus munitæ, hoc plurimis adstantibus comprobarunt, cum uni tessera, alteri autem ossa minuta fuere injecta, quæ ab ardentibus prunis combusta, similem per omnia fœtorem emisserant, aberat omnis odor sulphureus, qui comparuisset, si è terra natæ fuissent tessera, aut integræ mansissent, si ex tali materia lapidea fuissent enatæ, qualis illa esse solet, in qua conchæ, vel alii lapides figurati vulgo inveniuntur.

§. IV.

Eandem hanc sententiam suam fecit, ut jam
supra

supra monitum, Vir Celeberr. *Joannes Scheuch-*
zerus in sua de Tesseris Badenſi diſquiſitione,
 qui §. XV. hæc habet. „ Proximum nunc eſt,
 „ ut in ipſam materiæ teſſeras noſtras compo-
 „ nentis naturam & ſtructuram intimius pene-
 „ trare nitamur, eamque poſtmodum cum aliis
 „ analogis conferamus. Hunc in finem, poſt
 „ inſita multifaria circa teſſeras noſtras conami-
 „ na, in illud incidi expediens, ut ſcilicet teſ-
 „ ſeras Badenſes & Certiacenſes quasdam in
 „ tenuiſſimas diſſecarem lamellas, quas ſtatim
 „ poſtea limæ ſubtilioris adminiculo in tantum
 „ extenuaveram, ut quaſi ex integro diapha-
 „ næ eſſent & transparentes, ſimulque hoc ſe-
 „ dulo obſervavi, ut lamellæ dictæ, ſeu ſeg-
 „ menta cubulorum, una cum foveolarum pla-
 „ nis, quæ puncta in teſſeris conſtituunt, ad
 „ manus eſſent. Has paratas ita lamellas ſe-
 „ midiaphanas Microſcopii Anglici auxilio ex-
 „ actius examinaveram, ex quo ſequentia didi-
 „ ceram. 1. Seſe conſpicienda mihi præbue-
 „ runt vaſa obſcurioris ſeu fuſci transparentis
 „ coloris, non in varios tantum diviſa ramuſ-
 „ culos, ſed & frequentibus anastoſibus,
 „ ſub tranſverſorum canaliculorum, per longitu-
 „ dinem exporrecta vaſa conjungentium, for-
 „ ma conſpicuis, donata. 2. Dicta vaſa inter-
 „ jacebant ſub punctulorum obſcuriorum, in
 „ linea recta diſpoſitorum ſpecie ſeſe repræſen-
 „ tantes fibræ, ſubſtantiam ipſam lamellarum
 „ conſtituentes, quarum puncta dicta nihil a-
 „ liud eſſe videbantur, quam filamentorum ſub-
 „ tiliffimorum vario in ſe mutuo flexu intorto-
 „ rum admodum exigui minuti globuli, &
 T 2 quod

„ quod probe notandum, 3. Conſpectui ſe pro-
 „ debant etiam harum tum fibrarum ipſarum, tum
 „ præcipue vaſorum & canaliculorum circa fora-
 „ mina interruptio, ita ut ſpeciatim illa vaſorum
 „ ſeu canaliculorum interruptio, ſeu per transver-
 „ ſum à foraminibus facta ſectio, non uno, ſed plu-
 „ ribus etiam locis conſpiceretur: unde conclu-
 „ ſeram, totam ſtructuram nulli alii convenire
 „ potius, quam illi poſſe, quod per circulans
 „ quoddam, & per ejus ſubſtantiam internam
 „ fluidum nutrireſur, & cum ex chymica re-
 „ ſolutione teſſeras & oſſa eſſe ejuſdem naturæ
 „ corpus probetur manifeſtum videbatur, teſſeras
 „ ex oſſibus eſſe factas. Hoc autem examine
 „ nondum acquieſcebam, comparatis ideò oſſi-
 „ bus bovinis eandem inſtitui operationem,
 „ quam cum teſſeris Badenſibus abſolveram,
 „ quo facto eadem ſe prodebat ſtructura, diſ-
 „ poſitio, fibræ, canaliculi & alia, quæ in teſſe-
 „ ris obſervaveram, ex quo tandem firmiter
 „ concludebam, cum diſpoſitione, natura, odo-
 „ re & omnibus reliquis accidentibus Teſſeræ &
 „ oſſa ſibi reſponderent, Teſſeras Badenſes eſſe
 „ oſſeas.

§. V.

Ex iis quæ modo dicta ſunt, haud dubie
 patet, craſſius errare eos, qui non arti, ſed
 naturæ, Teſſeras illas, quæ vel Badæ vel Certiaci
 fuere ex terra erutæ, tribuere vellent. Hoc au-
 tem loco non omittendum aliud adhuc argu-
 mentum, ſententiam noſtram ſatis confirmans,
 quod Vir Cl. *Joannes Scheuchzerus* etiam recte
 notavit, idque petendum ex natura terræ, in
 qua

qua istæ Tesseræ vel Badæ vel Certiaci inveniuntur; illa enim terra non est ex illo genere, quam vel Physici vel Chymici *virgineam* vocant: per terram virgineam autem intelligunt talem, quæ in statu suo naturali inde à longissima annorum serie intacta mansit, ut nec à loco suo mota, nec aliis rebus permixta fuerit, & in qua sola mineralia, omnisque generis lapides etiam figurati nascuntur: de hac autem illud affirmari nequitiam potest, quia in eodem loco, in quo tesseræ eruuntur, nummi, annuli, variaque instrumenta ferrea, temporum lapsu magnam partem ærugine exesa inveniuntur: his accedunt frusta lateris cocti & alia, quæ fidem certam faciunt, terram illam in eum locum ex parte esse congestam, aut ædium ruinis permixtam, quæ ideo ad procreationem lapidum figuratorum, qui ex terræ succis producuntur, plane censenda est inhabilis.

§. VI.

Brevissimis jam verbis rationes exposuimus, quibus inducti audacter arti, non autem naturæ, tribuimus tesseras omnes, hactenus in quibusdam Helvetiæ nostræ locis inventas, cumque illas artificiales esse statuimus, nobis etiam assensum lectoris cujusque facile promittimus. Nec certe nos movet quorundam hominum obiectio, qui ex eo, quòd in monte Legerio, qui non procul Badâ distat, petrificata inveniuntur, argumentum petunt, & exinde concludunt, quod eadem terra, quæ varii generis testacea lapidea producere potuit, has etiam Tesseras in

sinu suo fovere & ad illam formam & magnitudi-
 nem, quâ comparent, provehere potuerit. Hoc
 equidem argumentum speciosum hominibus na-
 turæ rerum, variorumque lapidum in ea inven-
 torum ignaris videri potest: quòd si autem om-
 nes lapides figuratos probè examinemus, tan-
 tam diversitatem statim animadvertimus, ut sta-
 tim ex eodem hoc argumento concludere liceat,
 istas Tesseræ à natura neutiquam esse productas,
 cum omnes isti lapides forma & magnitudine
 differant, ut in ingenti multitudine vix decem
 sibi in omnibus similes invenias, cum autem
 Tesseræ Badenses & Certiacenses forma & magni-
 tudine non discrepent, concludimus, falli om-
 nes, qui ex testaceis & aliis petrificatis ad Tesse-
 ras consequentiasnectere vellent: Quibus acce-
 dunt punctula in omnibus tesseris ita, ut jam
 supra dictum fuit, notata, ut ad effectus vel vi-
 res naturæ illam formationem neutiquam re-
 censere possimus. His observationibus adden-
 da & hæc, in doctrina naturæ rerum fundata,
 quod ubique locorum petrificata participant de
 terra ea generante, hoc est, quòd terra, in qua
 varii generis lapides figurati inveniuntur, sit ho-
 mogenea lapidibus in ea inventis: cum autem
 nec Badæ Helvetiorum, nec Certiaci ulla plane
 inveniri possit terræ, in qua Tesseræ inveniuntur,
 cum ipsis Tesseris affinitas, iterum concludimus,
 circumiacentem illam terram ad illas Tesseræ
 producendas idoneam non esse. His, quæ à no-
 bis dicta sunt addendum adhuc argumentum
 non levis ponderis, ex *Celeb. Scheuchzeri* dissert.
 sæpius citata, *Temp. Helvet.* Tom. VI. pag. 393.
 cujus verba hæc sunt. „ Altera proin etiam cir-
 „ cum-

„ cumstantia ad examen vocanda, illa est, quâ
 „ fit, ut in omnibus Tesseris hucusque repertis
 „ puncta seu foveolæ, quibus earundem sig-
 „ nantur hedræ, eodem semper ordine signen-
 „ tur; Cur punctulum unitatem designans sem-
 „ per est in plani medio, cur alia diagonaliter,
 „ & numerus quaternarius in quatuor plani an-
 „ gulis, & quinarius eo semper ordine, quem
 „ antiqui *Quincuncem* vocant? hujus certe dis-
 „ positionis punctorum in Tesseris ratio nullibi
 „ quam in artificis, hæc ita disponentis, arbitrio
 „ quærenda est.

§: VII.

Ut autem sententia nostra, Tesseræ illas ar-
 ti, nullatenus autem naturæ ludenti adscribens,
 ab omni, quæ formari posset, difficultate libere-
 tur, objectionibus quibusdam occurrendum
 erit. Prima quidem illorum est, qui ex quibus-
 dam tessera, vel Badæ vel Certiaci inventis, non
 quidem figura vel magnitudine, sed punctorum
 notatione diversis, contra sententiam nostram ar-
 gumentum petunt; inventæ quippe sunt Tesseræ,
 quæ ex uno tantum latere fuere signatæ, aut
 ubi diversæ signandi regulæ fuere observatæ,
 cum numerus senarius bis, & quidem in planis
 sibi oppositis, similiter numerus binarius, terna-
 rius & quaternarius eodem modo expressi con-
 spiciantur. Quam tenue autem præsidium hæc
 diversitas iis suppeditet, qui pro naturali tessera-
 rum productione pugnant, quilibet videt, cui vel
 parum mens sana est. Habebant veteres diver-
 sos ludendi modos, tesseras diversimode signa-

tas, ludebant talis & tesseris, & licet à Criticis hætenus lis confecta non sit, quænam fuerit differentia inter Talos & Tesseras, hoc tamen satis determinatum, tesseræ sex habuisse latera punctulis notata, talos pauciora, ut post videndum; Cùm ideo numeri in quibusdam, licet paucissimis tesseris, ita sint notati, ut artificis manum optime exhibeant, qui diverso modo signatas exhibere voluit, potius concludimus, firmari hoc modo sententiam nostram. Si Tesseræ quædam, modo inordinato, punctula sua experimentia invenirentur, si tesseræ majores & minores eruerentur, si nonnullæ plane imperfectæ, aut à natura tantum inchoatæ fuissent detectæ, aliquod adhuc præsidium sibi fingere possent, qui ad naturæ vires in hac re decurrunt: cùm autem omnia hæc neutiquam observentur, iterum concludimus, soli artifici humano, neutiquam autem naturæ magistræ, Tesseræ Badenses tribuendas esse. ¶Fuerunt equidem, qui contenderant, inventas fuisse tesseræ nullis plane punctis notatas; ego autem, qui ex longo jam tempore accuratius ad hæc attendebam, & Tesseræ Badenses in diversis Helvetiæ Cime-liarchæis expositas inspexi, talem autem, nullis punctis notatam hætenus nondum vidi, & quod si forsitan aliquis aliquam exhibeat, ego fraudi tribuerem talem Tesseram, cum res sit satis certa, fuisse homines in vicinia loci illius, ubi Tesseræ Badenses inveniuntur habitantes, qui imposturâ quæstum exercebant, & Tesseræ supposititias pro veris venditabant, atque in tantum excrevit apud homines, qui simpliciores videntur, dolus & versutia, ut pueri peregrè ad-

ven-

ventantes, in locum illum, ubi Tesseræ sæpe inveniuntur deducerent, atque capreolô aut ligone terram foderent, atque dum terram manibus excutiebant, num forsan Tesseræ in illa latitarent, ore conclusas Tesseræ emittebant, terraque subitò confricabant, atque adstantibus divendebant, hinc etiam omnes propemodum, qui Badæ de Tesseris inquirunt, inveniunt equidem pueros, aut alios levioris conditionis homines, qui venales offerunt, sed spurias & supposititias, quæ ab illis tantum, qui longiori usu veras a spuriis secernunt, dignoscuntur.

§. VIII.

Sed nondum ab omni difficultate liberata est assertio nostra, qui enim ad naturæ vires hæc in re decurrunt, opponunt nobis corpora quædam cubiformia, atque hanc nobis exhibent objectionem. Si inveniuntur in natura rerum & corporibus in terra natis, corpora cubiformia, tum etiam est possibile, naturam illas Tesseræ, formam cubicam præ se ferentes, formare & producere potuisse, sed experientia teste, inveniuntur talia corpora, hinc etiam est verisimile, has Tesseræ eodem plane modo in terra produci potuisse. Ad hanc autem objectionem facilis est responsio, quam ex parte etiam exhibuit doctiss. Scheuchzerus, §. XXVII. dissert. supra citatâ. Dicendum ideo, dari omnino corpora cubiformia, naturæ viribus producta, qualia sunt salia culinaria, quæ vel ex rupibus salinis decisa, vel in aqua primò soluta, & dein per coctionem & evaporationem inspissata formam cubicam exhibent.

hibent. Sunt pyritæ, ex quibus Sulphur coquitur, qui in frustula comminuti, formam cubicam exhibent; Est tandem lapis specularis, quem alii glaciem Mariæ vocant, & cujus major est in Helvetia copia, qui etiam ad formam cubicam proxime accedit: Sed hæc omnia hypothesein & sententiam nostram non evertunt, cum res sit extra omnem dubitationem & controversiam posita, quòd omnia hæc corpora, regularem formam cubicam non exhibeant, quemadmodum Cristalli, ex montibus Helvetiæ eruti, formam equidem sexangularem, sed nunquam plane secundum regulas Geometricas perfectam conspiciendam præbent. Sed demus huic objectioni omne pondus, nihil tamen ea contra nos probat, quamprimum puncta tam concinno & perpetuo ordine Tesseris insculpta inspiciamus, hinc certe audacter concludimus, quod si equidem invenirentur Tesseræ ea forma, quâ Badenses se nobis conspiciendas præbent, pro quarum naturali formatione plurima pugnant argumenta, quòd tamen ad artem recurrendum foret, quamprimum puncta eo ordine in illis notata comparerent, quo se in Tesseris Badensibus offerunt, atque hoc omnibus tam manifeste se probat, ut nobis commune omnium Physicorum suffragium in hac re promittere possimus.

§. IX.

Ad ultimam tandem provehimur objectionem, ut assertum nostrum ab omni difficultate ita liberetur, ut nullus remaneat scrupulus, quem

quem adhuc illi proponunt, qui pertinaciter naturæ ludenti adscribere vellent, quod ad solam artem transferendum est. Objiciunt, rem non esse probabilem, Tesseræ ex ossibus paratas per tantum temporis spatium in terra perdurare potuisse. Sed facilis ad hæc est responsio, cum animadvertimus, inveniri in urnis sepulchralibus & cryptis ossa hominum, quæ per plurima secula in terra servata fuere, cum tamen res sit certa, quod ossa hominum propter ingentem Salis volatilis copiam, ut id experimento chymico satis constat, citius putrefactione consumantur, quam autem durissima ossa bovina, ex quibus Tesseræ Badenses constant; Cumque artifices ad Tesseræ conficiendas talia adhibuerint ossa, quæ erant nitida atque probe compacta, nihil obstat, quominus Tesseræ illæ per longissimum tempus in terra perdurare potuerint, præsertim si in talem terram inciderint, quæ nullis particulis acidis, quibus corpora facile corroduntur, erat corrupta: sunt enim quædam terræ genera, quæ per plurima secula res omnis generis incorruptas servant; sunt alia, quæ brevi tempore quidquid concludunt in pulverem redigunt & consumunt. Observandum præterea, quod ex inspectione tesserarum, quæ diversum colorem exhibent, cum quædam sint subfuscæ, aliæ ad viriditatem accedentes, colligi possit, illas tesseræ ab artifice colore aut vernice aliquo fuisse obductas: Quis autem est, qui nesciat, quod corpora, colore vel vernice poros occludente & putrefactionem avertente obiecta, longe diutius conserventur, quam autem si nuda terræ tradantur? Hanc nostram conjecturam firmat Tesserarum diversa conditio

ditio, cum quædam novissime ex terra erutæ non suam tantum antiquitatem prodant, sed etiam temporis lapsu ita cariosæ factæ sint, ut durius digitis compressæ in pulverem abeant; aliæ autem corpus duriusculum servant, & aëri expositæ iterum indurescunt. Recte etiam circa hæc notavit Vir jam supra laudatus, quòd ossa eò longius in terra perdurare possint, quò magis in se continent particulas pingues, oleaginosas & gelatinosas, quæ non facile alios succos terræ admittunt, quia se à corpore cui inhærent non facile separant, ac ne quis de hac re dubitet, addendum, quòd experimento constet, ossa diutius cocta, quæ ideo suam pinguedinem & oleaginositatem perdunt, citius in terra in pulverem converti, quam illa, quæ suam servant naturam & pinguedinem, hinc etiam ossa in agros & prata conjecta, pluviis & solis radiis exposita, paucorum annorum lapsu corroduntur, cum è contra alia, quæ in terra nullam mutationem patiuntur, & in eodem semper statu perdurant, suam naturam & duritiem constanter servant, quòd certum, vel innumeris exemplis probari posset; Certissimum autem hujus asserti testimonium nobis exhibent ossa, aliaque corpora, quæ petrificata vocantur, hoc est cortice aliquo lapideo involuta, quia omne corpus quomagis ab aëre & pluvia est remotum, eo diutius etiam in statu suo primævo conservatur.

§. X.

Satis jam, quantum quidem nobis videtur, probatum & evictum est, errare eos, qui
Tesse-

Tesseras Badenses vel Certiacenses motibus naturæ per Tesseras ludenti adscribere vellent: Ad alteram nunc devolvimur dissertationis nostræ partem, quâ ætas, usus & occasio istarum Tesserarum inquirenda erit: Hac autem in re difficilior se nobis exhibet investigatio, dabimus autem operam, ut in re dubia ea erudito lectori proponamus, quæ aliquo antiquitatis fundamento possunt firmari. Posita jam hac prima veritate, tesseras esse artificiales, prima se offert quæstio, cum hic apparatus lusorius haud dubie ad alearem lusum quondam fuerit adhibitus, ad quamnam ætatem istarum Tesserarum origo referenda sit? Ego autem ad tempora Romanorum ascendere, quibus Cæsares Rhenum imperii limites posuere, non vereor, plurima enim mihi suadent, quorum ratio modo ex historia & antiquitate exhibenda erit: exstructas olim fuisse Badæ Helvetiorum & Certiaci tabernas lusorias, ab hominibus rituum Romanorum non ignaris: Atque Badæ quidem longe majores & abundantiores fuisse exstructas, Certiaci pauciores, admodum est verisimile, quia Badæ longè major Tesserarum copia majorique in spatio quàm Certiaci fuit inventa: ne ergo lectorem morer, dicam quæ auguror, exstructas fuisse circa tempora Augusti ab ipsis Romanis tabernas lusorias in gratiam eorum qui thermis Badensibus utebantur, illasque olim subversas & dirutas, de novo tamen iterum ædificatas & ad posteriorem ætatem, quâ Helvetia à Barbaris gentibus fuit vastata, fuisse conservatas; Ut autem hæc nostra hypothesis fiat probabilis, primò mos Romanorum de thermis &

ludo

Iudo aleari exponendus est, hisque præmissis probandum erit, thermas Badenses à Romanis non tantum fuisse excultas, sed ad splendorem & magnificentiam exstructas, quæ si probata erunt, liberum erit erudito lectori de nostra sententia ferre iudicium.

§. XI.

Uſus thermarum est antiquiſſimus, (& quantum ex veterum ſcriptorum memoria colligimus, Græci, qui liberiori vivendi rationi præ reliquis gentibus indulgebant, thermarum uſum non tantum introduxiſſe, ſed etiam in deliciis habuiſſe videntur, idque colligimus ex Homero; qui Ulyxiſ mollem & delicatam vivendi rationem deſcribens, ait eum inter convivia, citharædoſ, choros & balnea calida vixiſſe, *Odyſſ. Lib. VIII. 248.*

Ἀεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρῖς τε, χοροὶ τε
Ἴματά τ' ἔξημοιβὰ, λοετρὰ τε θερμὰ καὶ ἕυναί.

*Semperque nobis convivium gratum, citharaque &
chori,*

Et vestes mutatoriae, lavacraque calida & cubilia.

Transiit autem a Græcis ad Romanos cum artibus & scientia liberior vivendi modus, atque balnea ex imitatione Græcorum tantopere in deliciis habita, ut potissimam fere mollis & liberioris vitæ partem constituerent, & in tantum excrevit apud Romanos effusa in omne genus deliciarum licentia, ut Cæsares splendidissimas thermas non in urbe tantum, sed etiam in provinciis

vinciis exstruerent, eaque populo gratuito exhiberent, in majus autem sese diffundebat luxuria, cum locupletiores in ædibus privatis sua haberent balnea, quibus pro consuetudine vitæ mollissimæ utebantur, & ne quid effusæ deesset mollitiæ, adjecta thermarum ædificiis Xysta ad exercitia, Porticus, in quibus athletarum velitationes conspiciebantur, parabantur Hypocausta, in quibus ante & post balnei usum commode se reponebant, qui thermis utebantur, Caldaria, Frigidaria, Tepidaria, sive loca, in quibus unus quisque pro arbitrio, aqua calida, frigida aut tepida uti potuit, Diætæ, sive cœnacula, in quibus prandebant & cœnabant, Elæothesia, sive cubicula in quibus post lavationem à balneatoribus ungebantur, nec his erant contenti, adstruebant hinc Sphæristeria, Conisteria, aliaque loca, ne in publicis illis thermis voluptati & effusæ luxuriæ dicatis, aliquid deesset, quo unusquisque pro lubitu non modo tempus fallere, sed genio suo ad satietatem usque indulgere posset: cumque Tesserarum ludus Romanis fuerit pervulgatus & familiaris, conjectare per se quilibet potest, ludum alearum in thermis ubique fuisse communissimum, cum eo tempore Tesseris ludere non pro re licita tantum, sed honesta pro omnis ætatis & conditionis hominibus apud priscos fuerit habitum, cum alii ludi aleares inter res turpes reponerentur, hinc aleatores, ut honestum aliquod nomen affectarent, se Tesserarios vocabant, quod notavit Jac. Cujacius Observat. Lib. IX. cap. 28. Oper. Tom. III. pag. 239. *Lenticulum aleæ condemnatum Cicero quasi infamem notat, aleatorum nomen infame censebatur, propter*

propter quod se Tesserarios appellari malunt, inter quos tamen, ut Marcellinus scribit XXXVIII. tantum differt, quantum inter fures & latrones. De veterum verò thermarum splendore pluribus differere, esset actum agere, fecit id præter alios Bartholomæus Marlianus in topographia urbis Romæ, Lib. IV. cap. 7. Thesaur. Græviani de Antiq. Rom. Tom. III. pag. 136. Quam communis autem fuerit apud Romanos talis & Tesseris ludendi consuetudo, nos plurima docent scriptorum Classicorum loca, quæ excutere nostrum non est. Ipse Augustus hoc ludo delectabatur, ut nos docet Sueton. in vita Augusti cap. 71. ubi epistolam Cæsaris ad Tiberium exhibet; Cœnavi, ait, mi Tiberi cum iisdem; Accesserunt convivæ Vinicius & Silvius pater; Inter cœnam lusimus γεγοντικῶς, & heri & hodie, talis enim jactatis, ut quisque canem vel senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat. Hunc verò locum pro sua quam habebat in humanioribus literis eruditione explanavit Casaubonus, cujus verba damus. Lusus quem describit Augustus is est, quem Græci πλεισσοβολίδα nominarant. Ludebatur talis & Tesseris. Talis ita ludebatur; quatuor talos vel ex auro factos, aut argento, aut ebore vel ex ossibus animalium in fritillum conjiciebant, eoque concusso super tabulam fundebant. Talorum πλώσεις, hoc est varietates; quos jactu casuque exhiberent, erant numero triginta quinque, id enim observatum à veteribus alexæ magistris, non posse ultra eum numerum diversas species exhiberi jactu quocunque quatuor talorum; dico talorum, nam in tesseriis plures conspectus diversi reperi-

viri

viri possunt; Ratio diversitatis est, quia plures sunt πλώσεις Tesseræ quam Tali: Hic quatuor tantum habet partes, quibus insistat & incumbat, cum ab utraque longitudinis suæ extremitate rotundetur; illa sex, ut hæc optime docet ἀυτολία. Has talorum πλώσεις Græci ajunt, ἐξ ἑβδομάδας κατ' ἀντιθετον συνκειμένας fuisse, hoc est puncta vel numeros habuisse sic dispositos, ut qui in oppositis duobus lateribus essent juncti, semper efficerent septem, ἀντέκειτο γὰρ ajunt, μὴνὰς καὶ ἑξὰς, ἔϊτα τριάς καὶ τετρας, hoc est, in oppositis lateribus sibi respondebant sex & unum, dein tria & quatuor, in Tesseris amplius fuerunt δύος καὶ πεντάς, duo & quinque: In eandem cum Casaubono sententiam abit Celebr. Bernardus de Montfaucon Antiquitatum Tom. III. parte secunda, p. 334. qui hæc habet. Tesseræ apud veteres eadem pene forma erant, qua hodiernum sunt, ut ex iis, quas proferimus liquet. Modum vero atque regulas apud priscos in talorum & Tesserarum ludo receptas prolixè describit Pollux in Onomast. Lib. IX. cap. 7. Sect. 97. & sequentibus, ad quem lectorem, cui volupe erit hæc nosse, remittimus. Tesseras non manu nuda in tabulam lusoriam, in qua calculi erant positi, mittebant, sed eo plane quo hodie modo pixidi injectas effundebant, quæ Horatio Pyrgus, aliis Fritillus vocabatur, sic enim Juvenalis Sat. XIV. 5.

*Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.*

Ad quæ Scholastes; Fritillus pixis cornea, qui φινός dicitur Græcè, apud antiquos in cornu mittebant Tesseras, moventesque fundebant. Et de his
Tom. VII. V opti-

optime *Hadrian.* *Junius* in *Nomenclat.* ad hanc vocem. *Fritillus* *Juvenali*, *Horatio* *pyrgus*, *Persio* *orca*, *turricula* *Martiali* vocatur, & est vasculum illud aleatorum, infundibuli speciem representans, per quod aleæ jaciuntur ad evitandam imposturam, cujus adhuc inter aleatores usus est apud *Italos*. Quæ verò fuerit differentia inter *Tesserar* & *Talos*, jam palam est ex iis, quæ ex *Casaubono* adduximus, hoc tamen incertum, an duo illa latera talorum, in quibus numeri vel puncta non erant signata, fuerint rotunda aut cava, aut oblonga, ut quidam vellent. *Disquisitionem* instituit *Matth. Raderus* in *Comment.* ad *Martial.* *Epigr.* *Lib. IV.* 14. *Nostrium* non est his minutiis immorari, qui enim magno labore in talia inquirunt, quæ non sunt tantum incerta, sed nullius ponderis, mihi ineptire videntur, & similes pueris, quos videmus equitantes in arundine longa.

§. XII.

Probatum jam, quanta fieri potuit brevitate, ludum *Tesserarum* Romanis quondam fuisse familiarissimum, atque ejus præsertim usum fuisse in locis quæ delectationis gratia erant frequentata. Ulterius jam progrediendum, atque probandum, omnia suadere, fuisse in iis locis, ubi hodiernum *Tesseræ* inveniuntur quondam tabernas lusorias, quibus destructis *Tesseræ* illæ unà cum apparatu aleatorio fuere deperditæ & terræ mandatæ: Hoc autem contigisse jam ante tempora *Tiberii* nos docet *C. Tacitus*, *thermarum Badensium* mentionem faciens, *Histor. Lib. I.* cap.

cap. 67. *Direptus longa pace in modum municipii instructus locus, amœno salubriam aquarum usu frequens.* Quis est jam, qui dubitet thermas Badenses illo jam tempore fuisse egregie ædificiis ornatas, & ab hominibus in vicinia habitantibus frequentatas, inter quos erant Cives urbis Vindonissæ, quæ non nisi duabus leucis à thermis distat, & quæ olim, ut ex ruderibus colligimus, erat magna & splendida. His accedebant milites Romani, ex Legione XI. & XXI. quæ Vindonissæ, ut prisca marmora satis probant, castra sua habebant. Colligimus id etiam ex alia Inscriptione, quæ hodie adhuc in pago urbi Badæ vicino in muro turris templi videtur. Hæc omnia sigillatim considerata, nos certos reddunt, non errare eos, qui asserunt, majorem olim fuisse thermarum Badensium splendorem & magnificentiam quam hodie, magnumque fuisse jam primo fere Cæsarum Romanorum tempore illarum thermarum usum & celebritatem, & in quas cum dominatione & imperio Romani mores, leges, consuetudines & vivendirationes fuere introductæ & excultæ, atque hæc omnia, si liquidius à nobis fuerint probata, fidem certam nobis dabunt, originem Tesserarum Badensium esse antiquissimam.

§. XIII.

Primo quidem loco testimonium Taciti, de thermarum Badensium statu antiquissimo paulo accuratius examinandum est, ex eo enim certissimus, illum locum ante tempora Othonis & Vitellii amplis & egregiis ædificiis fuisse exornatum,

tum, multa enim nobis de prisco splendore illius urbis declarant verba Taciti, jam supra nobis citata, cum ait; *Direptus longa pace in modum municipii extractus locus*; Nec certe hæc verba de alia quacunque Helvetiorum urbe, quam de urbe Bada, thermis Helveticis adjacente, intelligi possunt, quia Tacitus subjungit, quod ille locus *fit salubrium aquarum usu frequens*: ratio autem hæc est, quia nullæ thermæ in Helvetia natura calidæ inveniuntur, quæ olim urbem aliquam sibi adjacentem habuerint, quam istæ Badenses: Norunt enim omnes, quibus Helvetia vel parum nota est, quod tria Helvetiæ loca thermis natura calidis gaudeant, sunt enim aquæ Valesianæ, Favarienses & Badenses de quibus sermo est: quis autem est, qui nesciat, quod thermæ in Valesia, quæ Leucenses vocantur, ad radices montis fere inaccessi sitæ sint, ubi nullum urbis vestigium, nec suspicio ulla, quod prisco tempore urbs aliqua ibi extracta fuerit. De thermis autem Favariensibus, quas alii etiam Piperinas vocant, ineptum esset cogitare tempore Romanorum in modum municipii fuisse exornatas, cum in loco rupium asperitate fere inaccessu ebulliant, ut vix spatium inveniri poterit, ad commodum hospitium thermis illis uti volentibus parandum. Ut autem sensus verborum Taciti eo magis sit apertus, dicendum est, municipia fuisse Civitates à populo Romano in munerum civilium Societatem receptas, quæ separatam à Romanis Rempublicam habebant, ut id docet *Everard. Otto*, de *Ædilib. Municipior. & Coloniar.* cap. I. p. m. 13. Licet autem municipia non unius tantum fuerint

gene-

generis, ut id prolixè, & magno eruditionis apparatusu ut solet exponit illustris *Ezech. Spanheimius*, Legatus regius, *Orbis Romani* pag. 72. & seqq. Nihilominus tamen concludimus, tantam olim fuisse claritatem hujus civitatis, ut non minore ædium nitore & elegantia fuerit splendida, quam si municipii Jure à Romanis fuisset illustrata, hoc enim in more positum erat, ut Civitates in numerum Municipiorum receptæ, in honorem populi Romani mœniis, turribus munitis, templis atque egregiis ædibus exornarentur, id autem etiam factum esse Badæ, nos non tantum verba Taciti docent, sed & loci situs, thermarum salubritas, & variæ antiquitates prisicque splendoris rudera nos abunde docent, ut mox videbimus. Juvabat nitorem urbis hominum in hunc locum confluentium multitudo & communis de aquarum salubritate per totam Helvetiam fama, ut id satis significant verba Taciti, qui diserte ait, quod hic locus *salubrium aquarum usu fuerit frequens*. Inventæ etiam prope urbem & thermas antiquitates plurimæ, Pateræ antiquæ, Animalia ex ære fusa, ad cultum quorundam numinum, quibus hæc animalia erant sacra, spectantia, Numismata antiqua, Gemmæ, antiquas imagines & figuras exhibentes. Palmarium antiquitatis urbis testimonium nobis exhibet antiqua Inscriptio, quæ ad nostra usque tempora illæsa in muro turris templi pagi Wettingensis asservatur, ex qua colligere possumus thermas Badenses olim Isidi fuisse consecratas, quam jam, cum ad nostrum institutum non leve conferat pondus, paulo accuratius examinare est animus.

§. XIV.

Splendidissimum , quod hodiernum adhuc extat antiquitatis thermarum Badenſium teſtimonium nobis exhibet hæc Inſcriptio , quam jam ante aliquot annos à nobis deſcriptam exhibemus.

DEÆ ISIDI TEMPLUM A SOLO
L. ANUSIUS MAGIANUS
DE SUO POSUIT VIR AQUENSIS B
AD CUJUS TEMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINULA CONJUX
ET PEREGRINA FIL --XC DEDE
RUNT. L. D. D. VICANORUM.

Hunc autem lapidem eo lubentius orbi erudito exponimus , quia *Francis. Guillimannus* , laudatus alias rerum Helveticarum Scriptor , ut & ipſe *Janus Gruterus* in Theſ. Inſcript. pag. LXXXII. egregium hoc monumentum nobis mutilum reliquerunt. De hujus lapidis antiquitate nullum jam dubium , hoc autem pro certo determinari non poteſt , quo Cæſare regnante illud templum , cujus frontiſpicio hic lapis erat inſertus , fuerit poſitum ; at hoc ſaltem certum priorum Cæſarum tempore illud factum fuiſſe , quia plane nulla occurrunt monumenta in plurimis antiquis inſcriptionibus , quæ ad noſtra tranſierunt tempora , ex quibus colligere poſſumus , quod poſteriorum Cæſarum magna terræ Helveticæ cura fuerit , aut quod ædificia publica declinante Imperio Romano in Helvetia fuerint poſita. De cultu autem Iſidis multa dicere inſtituti noſtri non eſt , pauca ideo , quæ ad rem faciunt dixiſſe ſufficiet.

§. XV

§. XV.

Isidem fuisse Ægyptiorum Numen res est notissima, Romani autem hanc Deam cum aliis Ægyptiorum Idolis Romam transtulerunt, ut hoc modo voluntatem & amicitiam Ægyptiorum, qui ad vesaniam usque superstitioni erant, sibi conciliarent, probat id nobis *Lucanus Pharsal. VIII. 831.*

*Nos in templa tuam Romana recepimus Isim,
Semideosque canes & sinistra iubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim.*

Cultus verò Isidis apud Germanos erat antiquissimus, teste *Tacito de Morib. Germanor. cap. 9. Pars Suevorum & Isidi sacrificat, unde causa & origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum Liburnæ figuratum, docet advectam religionem.* Fuerunt autem in Germania quædam loca, ubi quondam hæc Ægyptiorum Dea fuit culta, ut nos docet eruditus *Taciti de moribus Germanorum Commentator Andreas Althamerus, p. m. 116:* cujus verba hæc sunt:
 „ Isidem, Jovis Ægyptii Regis filiam, Deorum
 „ honores consecutam, Auctores scribunt, quod
 „ multis beneficiis homines donaverit, unde in
 „ templo Vulcani apud Memphim Ægypti sepulta fertur. Leges etiam statuisse, & propterea
 „ ea Thesmophoram appellatam, præterea plurima invenisse medicamenta, medicæque arti
 „ multum contulisse asseverant, quemadmodum
 „ dum copiosissime *Diodor. Siculus Lib. 1. affirmat.* Hanc Isidem Suevos coluisse *Tacitus*
 „ narrat, & sunt qui prodant, *Isenacum Tor-*

„ ringiæ urbem, quæ non procul ab Horrisono
 „ monte, qui vulgo Haselberg vocatur, sita est,
 „ ab Iside invenisse nomen, nec inepta conjectu-
 „ ra est, quod Suevi, Isidis cultores, antiquitus
 „ non procul ab Isenace habitarent. Isidem
 „ etiam Augustæ veneratam Peutingerus affir-
 „ mat, & eo loco, ubi nunc sit Civitatis Præ-
 „ torium, *der Isenberg*, hoc est mons Isidis,
 „ templum quondam habuisse, nam verisimile
 „ est Suevos, postquam in Rhetiam immigra-
 „ runt, Augustæ, Deæ Isidi templum & sacra
 „ instituisse“. Licet autem hæc, quæ vir doc-
 tus protulit, omnimodam probationem veritatis
 historicæ non habeant, hoc tamen verissimum,
 ea omnes probabilitatis partes secum ferre, quia
 alia insuper adsunt testimonia, quæ nobis satis
 declarant, cultum Isidis apud Germanos olim
 fuisse receptum, ut id ex antiquis monumentis
 & lapidibus probat *Aventinus*, de Annalib. Bo-
 jorum Lib. II. Qua verò ratione cultus Isidis
 apud Badenses olim fuerit introductus, difficile
 non est definire, cum omnia suadeant, cultum
 Isidis post subactam Germaniam & Helvetiam,
 à Romanis ipsis fuisse in has Provincias transla-
 tum, tota enim Inscriptio, quam præ manibus
 habemus, nobis probat L. Anusium Magianum
 aut Romanum fuisse, aut saltem linguæ, morum-
 que Romanorum atque rituum callentissimum.

§. XVI.

Ut autem ad Isidem, de qua sermo est redea-
 mus, dicendum est, rationes plurimas fuisse,
 quare ejus cultus apud Badenses potius, quam
 numi-

numinis cujuscunque ex ingenti illo fictorum Deorum numero in loco thermarum susciperetur, erat enim illa Medicinæ Dea, corporis humani conservatrix, aquarum & hinc etiam navigantium Præses & Domina, hinc hominibus visum reddere, vel malos etiam lumine privare credebatur, testem habemus *Juvenalem* Sat. III. 93.

*Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro:
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos.*

Hujus vero numinis virtutes & potentiam ex opinione veterum erudite nobis describit *Gisb. Cuperus* in *Harpocrate* p. 157. qui hæc habet. *Diodor: Siculus* Lib. I. narrat, *Ægyptios* tradere, *Isin* multa pharmaca invenisse, & ἰατρικῆς ἐπισήμης μεγάλην ἐμπειρίαν hoc est, medicæ artis magnam experientiam habuisse, sanatione hominum maxime gaudere, & in somnis manifestam numinis sui præsentiam exhibere, ægrotisque remedia contra morbos dare, multosque à medicis relictos ab ea salutem accepisse, adeo ut mirum nequaquam sit, eam SALUTAREM vocari in antiquo lapide apud *Gruterum*, & *P. Quinctium* pro salute filii sui votum suscepisse *Isidi*, *Serapidi*, aliosque huic Deæ ex monitu dona dedisse. De *Iside* vero, & ejus in corpora humana potestate & mendendi potentia, nihil manifestius loco *Tibulli*, Lib. I. Eleg. 3. 27. ubi *Deliam* suam ita alloquitur.

*Quid tua nunc Isis mihi, Delia; Quid mihi profunt,
Illa tua toties æra repulsa manu?*

*Quidve, pie dum sacra colis, pureve lavari
Te memini, & puro succubuisse toro?*

*Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.*

Ad quæ Clariff. *Janus Brouckhusius*, eruditus *Tibulli* Commentator multa docta observat, sed hac quidem in parte, quantum quidem mihi videtur, errat quod pictas *Isidis* tabellas, de quibus *Tibullus*, potius referat ad eos, qui ex naufragio aut periculosa navigatione fuere salvati, quam autem de iis, qui ope *Isidis* pristinæ sanitati fuere redditi. Verum equidem, *Isidem* fuisse navigantium numen non minus quam *Neptunus*, *Castor*, *Pollux* aliique, sed potior tamen ejus virtus in tutela corporis humani, hinc plurima exempla, ex quibus ipse *Doctiss. Brouckhulius* in notis quædam attulit: ægrotantes *Isidi* pro salute vota fecisse & persolvisse notum est, hinc *Isis SALUTARIS* dicta in antiquis monumentis, à *Sponio* productis, ut hæc uberius probantur in *Johannis Poleni* Supplem. Thesauri Antiquitt. Tom. II. pag. 274. Observandum præterea, quod prisca tantam de hoc numine existimationem conceperint, ut omnem cœlestem potentiam ad solam *Isidem* transtulerint, indeque *Apulejus* Lib. XI. eam rerum naturæ parentem, elementorum omnium Dominam, initialem seculorum progeniem, & summam Numinum vocat. Hoc magis adhuc probat antiqua inscriptio apud *Gruterum* p. LXXXII. à *Pighio* & *Gudio* Capuæ descripta, quæ hæc est.

TE. TIBI.
UNA. QUÆ.
ES. OMNIA.
DEA. ISIS.
ARRIUS. BAL.
BINUS. V. C.

Ex his, jam quidem manifestum satis est, quæ fuerit ratio, quare Isis apud Badenses quondam templum cultumque publicum habuerit, nec certe thermis magis conveniens Numen tutelare ex ingenti Idolorum numero seligi potuisset, omnia enim ex vana & superstitiosa gentilium opinione Isis ea possidebat attributa, quæ ad numen salu- tiferum, ad quod ægroti in thermis sanitatem sperantes decurrerent, requirebantur.

§. XVII.

Hæc quæ jam dicta sunt magis adhuc pro- bantur ex Columna quæ hodie adhuc extat in balneo publico, pauperibus destinato, quod Sanctæ Verenæ nomen habet, in qua imago cum lucerna videtur, & quæ ut ajunt Sanctæ Vere- næ imaginem exhibet, quæ autem, si probe in- spiciatur, Isidem eo plane modo, quo à priscis fuerat depicta, repræsentat, illa enim manu dex- tra sitellam, sinistra vero pectinem gerit. No- runt autem omnes, qui vel modicam veterum rituum cognitionem habent, plurimas Isidis ima- gines occurrere, quæ eadem hac forma Isidem nobis demonstrant, atque duas hujus formæ no- bis exhibet æri incisas *Gisb. Cuperus* in Harpo- crate, pag. 46. Quæ autem fuerit ratio, quare gentiles Isidem cum situla, qua veteres ad aquam portandam communiter utebantur, depictam co- luerint, nobis exponit *Servius* ad *Æneid.* Lib. VIII. v. 696. qui hæc habet. *Isis autem est Ge- nius Ægypti, qui per sistrum motum quod gerit in dex- tra, Nili accessus recessusque significat, per sitellam quam altera manu retinet, ostendit adfluentiam aqua- rum.*

rum. Dudum etiam observarunt Viri eruditissimi, situlam commune gestamen Isidis fuisse, ut hoc modo potentia ejus in aquas & fontes promiscue omnes, medicinales præsertim, hominibus sanitatem reddentes, significaretur: quod autem in altera manu pectinem gerat, mirum non est, quia mulieribus, pompam Isidis celebrantibus commune & solenne erat, pectines, qui inter Isidis ornamenta recensebantur, manu gestare, cujus rei testis est *Apulejus* Lib. XI. hanc pompam Isiacam describens. *Inter has oblectationes ludicras popularium, quæ passim vagabantur, jam sospitatricis Deæ peculiaris pompa moliebatur; Mulieres candido splendentes amicimine, verno florentes coramine, qua sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis, aliæque nitentibus speculis venienti Deæ obvium commonstrarent obsequium, & quæ pectines eburneos ferentes, natum atque appexum crinium regaliū fingerent.* Hæc quæ a nobis dicta sunt confirmat *Laurent. Pignorius* in *Mensæ Isiacæ* expositione, pag. 10. *Isidis cultus per totum fere terrarum orbem erat diffusus; idque propter manifestas, ut credebant, morborum curationes, quod etiam ex parte patet ex nummo æneo Claudii Imperatoris, in quo Isis cum sisiro & situla manifeste exhibetur cum inscriptione SALUS. AUG. Adhæc navigantium tutela credebatur: qua in parte commune imperium habebat cum Venere & Minerva, ut id probat Vir Ampliff. & Celeberr. Jac. Phil. d'Orville in eruditissimo commentar. in Charitonis Aphrodis. Narrat: Amator. pag. 688. Isidem vero cum Venere cœlesti unam eandemque facit Apulejus Lib. XI. ideò eam ita alloquitur, tu cœlestis Venus, quæ*
primis

primis rerum exordiis sexuum diversitatem generato amore sociasti. Conspicitur nocturno tempore lampas columnæ appensa, quæ quantum auguror etiam ex antiquitate genti ortum habet, Isidem enim veteres nocturnis colebant lampadibus, ut id probat *Fr. Fortunatus Schaccus*, Thesaur. Antiq. cap. I. p. m. 23. Locus etiam insignis occurrit apud *Callimachum* Epigr. LIII. p. m. 227. ubi Pamphilum introducit Agoranacti poëtæ statuam ponentem:

Τῆς Ἀγορνάκτου με λέγε, ξένη, κώμικον ὄντως
 Ἀγκείσθαι νίκης μάρτυρα τε Ροδίε
 Πάμφιλον, ἔκ ἐν ἔρωτι δεδαυμένον. ἡμισυ δ' ὄπτει
 Ἴσχαδι καὶ λύχνοις Ἰσίδος εἰδόμενον.

*Dic me hospes positum esse victoriæ Agoranactis
 Rhodii testem vere comicum
 Pamphilum, non in amore ambustum : dimidium
 vero conspicitur
 Caricæ & lucernis Isidis simile.*

Quomodo vero cultus Isidis fuerit abrogatus, eique in cultu & honore successerit Sancta Verena, scœmina haud dubie pia & benefica, facile est colligere, cum satis constet, plurima fana & sacella olim in honorem Numinum posita, post ejectam & abrogatam gentilem Idololatriam sanctis viris & mulieribus, invalescente Religione Christiana, fuisse dedicata, cujus rei exempla produci possent plurima, si hoc jam agendum esset.

§. XVIII.

Templum Isidis à solo extruxit *L. Anusinus Magianus*, atque de suo posuit; Ita moris erat apud

apud Romanos nomina eorum scribere, qui propriis impensis templa Deorum aut alia ædificia extruxerant, quis autem fuerit ille L. ANUSIUS MAGIANUS, res est incerta, illum autem Romanum fuisse, mihi videtur veritati consentaneum, cum tria habeat nomina, qui honoratiorum Romanorum mos erat, secundum illud *Ausonii*, Eidyll. XI. 80.

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Occurrit etiam nomen, pronomen & cognomen hujus viri sæpius in antiquis lapidibus; Lucium enim fuisse communissimum apud Romanos pronomen, probatione non indiget, & pervulgare fuisse Anusium vocari, lapides probant, Magianus etiam quidam occurrit apud *Gruterum* Inscript. pag. CXCIV.

P. POMPONIUS CORNELIANUS
ET JULIA MAGIA CUM
JULIANO ET MAGIANO
FILIIS
A SOLO REFECERUNT.

Hoc tamen obiter observandum; nomen Magiani in Badensi inscriptione cognominis loco positum esse, quod in hoc monumento à Grutero exhibito pronominis vicem habet, quod autem apud priscos sæpius factum est, hinc recte observarunt viri docti, quod sæpius eadem vox & nominis & pronominis vicem sustinuerit, sed hæc satis nota. Majorem verò disquisitionem exigit quæstio, quæ sit vera significatio verborum VIR AQUENSIS B. Sunt qui ex hoc Viro Aquensi Civem Badensem faciunt, quo autem id fiat fun-

damento, ego equidem non video, nec certe commoda nobis occurrunt apud antiquos auctores loca, quæ hanc conjecturam probent: potius mihi fit probabile, hunc Magianum inspectorem thermarum publicarum fuisse, cum res sit notissima apud omnes, qui ad principia veterum auctorum ascenderunt, quod nomen *Viri* locis aut officiis præpositum ubique dignitatem significet, ut id etiam satis probat *Vossius* ad hanc vocem, hinc admodum est verisimile, hunc Magianum fuisse inspectorem & curatorem thermarum publicarum: notum enim Romanos certas quasdam leges habuisse, ad omnem ordinem & decentiam in balneis publicis observandam, hinc exempli gratia vir qui thermas mulieribus destinatas violenter intrasset, capite plectebatur, ut id refert *Sam. Pitiscus* in *Lex. antiq. Rom.* Tom. III. pag. 832. Res est etiam notissima, quòd hodiènum adhuc in omnibus illis locis, ubi thermæ publicæ à plurimis hominibus frequentatæ inveniuntur, iudices & curatores publici sint constituti, qui id agunt, ut unus quisque tranquille vivat, & ad sanitatem restituendam commode illis possit uti: habebant etiam Romani ubique in thermis publicis, thermarum curatores quibus cura & custodia earum erat concredita. Hæc quæ breviter dicta sunt pondus accipiunt ex eo, quod hic *L. Anusius Magianus* in honorem *Isidis* templum posuit, quia enim *Isis* erat *Dea* tutelarum thermarum *Badensium*, omnia suadent, hunc Magianum sacra *Isidis* curasse, ejusque cultum eo quo conveniebat modo secundum superstitionem gentilem sua auctoritate per *Sacerdotes* promovisse. Duplici ideo munere

munere functus fuisse videtur, sacro & politico, quorum primum consistebat auctoritate in homines thermis utentes, alterum in administratione sacrorum Isaacorum. Conjecturam nostram de Magiano & ejus apud thermas dignitate & auctoritate magis confirmat antiqua Inscriptio, quæ ante paucos adhuc annos Badæ in muro templi conspiciebatur, & quæ haud dubie ab illius loci incolis, politiorum litterarum equidem ignaris, adhuc asservatur, quam refert *Gruterus* in corpore Inscription. pag. CCLXVII. ut & *Vir Clariss. Dn. Louis de Bochat.* in *Historia Antiquæ Helvetiæ* pag. 123. quæ Reipublicæ Aquensis mentionem facit, illam autem exhibere operæ pretium videtur.

M. AURELIO
ANTONINO CÆS.
IMP. DESTINATO
M. L. SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS
AUG. FILIO
RESP. AQU.

Multis forsan mirum videri potest, urbem Badam Rempublicam vocari, sed mirari desinent cum animadverterint non municipia tantum, sed etiam majores civitates olim à Romanis vocatas fuisse Respublicas, cujus rei exempla forsan centum ex antiquis marmoribus producere liceret; si probatione opus esset: Rem totam brevissimis verbis explicat *Vir illustris Ezech. Spanhemius* *Orbis Rom.* pag. 105. cujus verba hæc sunt. *Respublicæ à Romanis appellatæ omnes id genus civitates,*

ses, seu municipia, quibus nempe, ut de iis Græci
ajunt, πολιτείας, sui nempe juris & magistratus mu-
nicipalis libertas erat à Romanis relicta. Obicem
aliquem tandem ponit adjecta lit. B. quæ quan-
tum auguror significat *vivus*, hoc est *vivus fecit*,
solebant autem veteres sæpissime adjicere, an ta-
lia ædificia homines vivi, an vero post mortem
ex testamento ædificari voluerint, sic etiam æta-
tis annos sæpe lit. B. pro V. notabant, sicque
bixit pro *vixit* scribebant, quia B. promiscue pro
V. ponere moris erat, ut hoc satis notum iis,
qui veterum monumenta vel parum evolverunt,
qui autem de his ambigit, is facile apud anti-
quitatum Scriptores dubio suo liberabitur.

§. XIX.

Ad ultimam nunc partem Inscriptionis no-
stræ ventum est, qua declaratur, quòd *Alpinia*
Alpinula conjux, & *Peregrina filia* denarios cen-
tum ad templi Iſidis ornamenta contulerint. Hoc
loco non opus est docere, quod hæc Sigla. X
apud antiquos denarium significet, summam au-
tem ex pretio hodierno computabit, qui volet.
Alpiniam Alpinulam fuisse Magiani conjugem,
Inscriptio manifeste probat, Alpinulam aliquam
etiam nobis ostendit antiqua Inscriptio, quæ ad-
huc videtur Aventici, quæ erat Deæ Aventiæ,
hoc est Deæ tutelaris Aventici, (quæ urbs teste
Tacito olim erat caput Helvetiorum,) Sacerdos,
quæ hæc est, eam referente Cl. *Wildio* in *Apolog.*
Aventici pag. 222.

JULIA APLINULA HIC JACEO
INFELICIS PATRIS INFELIX PROLES

Tom. VII.

X

DEÆ

DEÆ AVENT. SACERDOS
EXORARE PATRIS NECEM NON POTUI
MALE MORI IPSI IN FATIS ERAT.

Si conjecturæ locus, hæc Alpinula aut soror aut ex eadem saltem familia oriunda erat cum illa quæ Magiani uxor fuit, de hoc vero unusquisque pro arbitrio judicabit: Quæ autem fuerit hæc *Peregrina* non plane incertum, *Filia* vocatur, hoc est inupta, erat vero nomen muliebre quod apud veteres sæpius occurrit, cujus rei testimonia ex *Grutero* & *Muratorio* adduci possent plurima, si hoc agendum foret: Filiam eam fuisse Magiani plurima suadent. Suppeditavit verò Alpinula cum *Peregrina*, quæ ad ornamenta templi *Isidis* erant necessaria, erant autem plurima, quæ ad ornamenta templorum *Isidis* requirebantur. *Palmarium* erat *Sistrum*, quo *Isidis* Sacerdotes diversos sonos ciebant, quale ex veterum monumentis nobis elegantissimum exhibuit *Laur. Pignorius* in *Mensæ Isiacæ* expositione p. 67. Erant præterea vestes variæ, quibus Sacerdotes *Isidis* pro activio vel declivio *Lunæ* amiciebantur; *Luna* autem plena existente & fulgorem suum emittente, albis amicti vestibus comparebant, secundum illud *Apuleji* Lib. XI. ubi de Sacerdotibus *Isidis* hæc habet. *Sed antistites sacrorum, proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale adusque vestigia stricti conspiciuntur*: *Luna* autem deficiente nigris induebantur vestibus, atque tum, quantum suspicor, atrati sacra faciebant, luctum hoc modo ob *Lunæ* absentiam præ se ferentes, de quibus dicere nostrum non est, fecit id doctiss. *Steph. le Moine* in *Differt. Epistolica ad Cuperum de Mellenaphoris*. Ad ornamenta

menta templi Isidis etiam spectabant *Vela Isiaca* vel *Pepla Isidis*, de quibus *Claudianus* in *Eutrop.* Lib. I. 356.

-- *Et quidquid inane*

Nutrit in Isiaca, quæ pingitur India Velis.

Ad quem locum plurima ad manus essent, quæ notari & afferri possent, si hoc jam agendum foret, quædam jam occupavit *Cuperus* in *Harporate.* p. 260., sed magnificentum spicilegium reliquit hunc campum ingredientibus. Locus autem ubi templum Isidis poneretur *Datus Decreto Vicarorum*, quod literæ L. D. D. VICANORUM facile indicant. Per Vicanos intelligendos esse homines in Vico habitantes, nemo est qui dubitet, cum incertum sit annon forsan extra urbem hoc templum fuerit ædificatum, & ad cuius constructionem vici proxime adjacentes locum aliquem commodum & opportunum donabant.

§. XX.

Ea quæ jam ex antiquis Lapidibus paulo prolixius à nobis fuere allata, eo fine huc transferenda videbantur, ut thermarum Badensium antiquitas & splendor prisca temporis exponeretur. Pauca jam remanent, quæ ad scopum eundem faciunt, ut ulterius adhuc hujus loci celebritas & ex ea postmodum moris Romani Tesseris ludendi consuetudo probari possit. Juvabant frequentiam thermarum Badensium Civitates quædam & Vici adjacentes, quarum incolæ haud dubie frequentius istis thermis utebantur, accedebant insuper Legiones quædam Romanæ in illis confiniis castra sua habentes. Locus proximus erat *Vicus Gabinii*, qui hodie *Gebistorff* vocatur, hunc pagum quondam Vicum Gabi-

nii vocatum fuisse nos quædam antiqua Latina Diplomata docent, & qui haud dubie à quodam Gabinio, Romano Cive, fuerat in loco illo amœnissimo ad confluentiam Arolæ, Ursæ & Limagi sito extructus & exornatus: fuisse autem illum Vicum ædibus ornatum & à Romanis habitatum nos convincunt antiqui Lapides, quorum unus in muro templi videtur, quem lectori exhibemus.

M. MAL. MI. OB. MAL.

C. AUS. VERONA. MIL. LEG. XI. C. P. F.
ET. MARCI. MODESTI. ANNORUM XXXIII.
EX TESTAMENTO. H. F. C.

LENIUS. SECUNDUS.

QUINTUS ROMANUS VERECUNDUS

H. S. E.

Occurrunt autem quædam in hac Inscriptione, quæ legentibus non statim clara fiunt & obvia, ego autem totam Inscriptionem, salva tamen doctiorum sententia, ita legendam existimo. *Marcus Malius, Miles, obiit, Marci Auli Libertus, Cajus Ausonius Verona, Miles Legionis undecimæ, Claudiæ, Piæ, Fidelis, & Marci Modesti, annorum XXXIII. ex testamento hæredes fieri curarunt, Lennius secundus, Quintus Romanus Verecundus hic situs est.* Fuerunt qui ex tribus litteris C. P. F. legerent *Coloniæ, Piæ, Flaviæ*, hanc autem nostram harum siglarum explicationem, qua legimus, *Claudiæ, Piæ, Fidelis*, firmat alia Inscriptio apud Gruterum, quæ hujus Legionis undecimæ mentionem facit, pag. CIX.

GENIO CENT.

A. SERGIUS. A. F.

SULPITIUS MIL. LEG.

XI. CLAUD. PIÆ. FIDEL.

SACR.

Habebat autem una quæque Legio suum epitheton & elogium, hinc Legio prima, *Adjutrix, Minervia & Parthica dicta.* Secunda etiam *Adjutrix, Italica & Trajana Fortis;* Tertia, *Augusta, Cyrenaica, Flavia & Gallica.* Quarta, *Flavia, Gallica, Gemina Martia Victrix.* Quinta, *Alauda & Macedonica.* Sexta, *Antoniniana, Firma, Pia & Fidelis.* Septima, *Gemina ut & Pia & Fidelis* non minus, ac *XI.* appellata fuit. Reliquas transeo, cum ad omnes descendere nostri instituti ratio non permittat. Post compendium literarum C. P. F. sequitur alia Sigla, lapsu temporis oblitterata, quæ an *Centuriam* vel voculam copulativam *ET* denotet, mihi hætenus satis incertum, sed hoc sensum totius Inscriptionis non impedit. Ultimæ tres literæ H. S. E. aliquando denotant, *Hoc signum erexit*, frequentius verò in antiquis marmoribus, *Hic situs est*, erat verò hæc consueta veterum formula, ut id productis variis exemplis probat Vir in explicatione veterum Inscriptionum doctiss. *J. G. Hagenbuchius* in Epistolis Epigraphicis pag. 485. Alia insuper occurrit in eodem Vico Inscriptio, quæ anno hujus seculi primo à rustico eo ipso loco, ubi Ursa Arolæ se jungit cum Urna sepulchrali, quam Lapis cum Inscriptio tegebat, fuit inventa, & quam piæ memoriæ Pater meus ab interitu vindicatam muro ædium pastoralium inferi curavit, quæ hæc est.

M. CLAUDIO HYMNO
 MEDICO LEG. XXI.
 CLAUDIÆ QUIETÆ EJUS
 ATTICUS PATRONUS.

Notandum verò quod nomen *Hymni* cum aliquo scriptionis compendio expressum sit, quod

autem ad rem nostram nil confert, hinc quidam *Humno* legendum putarunt; sed perperam, quia distincte τὸ Y literæ H. superimpositum legitur, nec facile exempla proferri possent, quibus probaretur, quod vox *Humnus* apud Romanos vel nominis vel pronominis aut etiam cognominis vice vel loco fuerit adhibita: sunt autem loca plurima in antiquis Inscriptionibus, quæ nos certos reddunt, quod plures nomine *Hymni* apud Romanos fuerint compellati, quod ex Gruteri Thesouro Inscriptionum & aliis abunde probari posset, si hoc assertum probatione indigeret. Qua verò occasione Legio XXI. in illas oras devenerit nobis aperte exponit *Tacitus* Histor. Lib. 1. cap. 67. *Plus prædæ & sanguinis Cæcina hausit; Irritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellii Imperium abnuentes; Initium belli fuit avaritia & festinatio unæ & vicesimæ Legionis, rapuerant pecuniam missam in stipendium Castellum, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur; ægrè id passi Helvetii, interceptis epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas Legiones ferebantur, centuriones & quosdam milites in custodia retinebant. Cæcina belli avidus, proximam culpam, antequam pœniteret, ultum ibat; mota prope castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii exstructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens. Quodnam autem fuerit illud Castellum, de quo Tacitus, & quod Helvetii suis militibus atque stipendiis tuebantur, altum apud Taciti Commentatores silentium: mihi autem omnia suadent fuisse illud, aut Castellum ipsum Badenense quod ad nostram usque ætatem *Arx antiqua* vocatur, aut illud Castellum quod erat fortalitium urbis *Vindonissæ*, hodie*

adhuc

adhuc rudera ostendens, quod etiam ad hunc usque diem *Altenburg*, hoc est prisca Arx cognominatur, in cuius mœniorum proximitate cottidie adhuc nummi Romani eruuntur. Novi equidem fuisse quosdam, veteris Historiæ non satis peritos, qui putarunt, Arcem Habsburgicam illam esse, quæ ab *Altenburg* passibus bis mille distat, & quæ in *Vindonissæ* erat extremitate, sed eos errare norunt omnes, qui posteriorum temporum annales evolverunt, cum res sit satis certa, arcem Habsburgicam posterioris esse ætatis, hinc ipse fatetur domus Habsburgicæ encomiastes *Francisc. Guillimannus* de vera Origin. Domus Austriæ Lib. II. cap. 2. *Altenburgum*, cuius rudera hodiernum adhuc in confinio urbis *Brugæ* videntur, olim fuisse Castrum antiquissimæ urbis *Vindonissæ*, de qua jam pauca dicenda.

§. XXI.

Vico *Gabinii*, de quo pauca diximus, proxime adiacebat *Vindonissa*, Urbs olim *Helvetiæ* post *Aventicum* maxima, prisecam ejus magnitudinem plurima adhuc declarant rudera, variæque antiquitates ad hoc usque tempus omnium oculis expositæ, & in cuius medio posteriori ævo splendidum Cœnobium, ex morte *Alberti Austriaci* clarum, exstructum fuit, & quod hodiernum adhuc prisici splendoris monumenta habet, descriptionem satis amplam dedit *Guillimannus* de Rebus *Helvetior.* Lib. I. cap. 2. *Vindonissæ ætatem præterquam, quod etiam à Tacito in Historia Lib. Lib. IV. cap. 61. & 70. memoratur, & Antonino in itinere, multa testantur, quæ passim eruuntur monumenta, Inscriptiones, Urnæ sepulchrales, Nummi aurei, argentei, aeni. Vindonissæ est Statua Mercurii prope integra, præsidiis po-*

stea Romanis, Legionis XXI. hac in urbe sedes ordinaria, unde quoque ejus magnitudo clara, oportet enim non parvam fuisse, in qua Legio una pro praesidio consisteret. Loco ubere & opportuno, angulum utriusque confluentis Ursae & Arolae complebat, ponte uno, hinc in Sequanos & Rauracos [cujus quidem commoditate remansit oppidum Brak, ab eo nominatum, Vindonissae quondam suburbium] altero in Germaniam, recto versus Badam itinere, mittebat. In eam omnis generis mercimonia ex tribus Helvetiae praecipuis fluminibus, Arula, Ursa, Limago, qui etiam paulo infra Ursam in Arulam se effundit, partibusque debebi poterant Tigurino, & Aventico. Nec a Rheno magna distantia, passuum enim vix millia septem, ubi Rhenus se Arolae jungit, & majora ista flumina coeunt in unum, hodie num vero vix paucula, quae vicum efficiunt aedes, si vero ruas adhuc moeniorum rudera & fundamenta, longe lateque reperias, sola concamerata, fornices. Et plura idem in Habsburgicis, Lib. II. c. I. de Vindonissa loquens, haec habet. Nummi omnis generis Imperatorum, quorum temporibus maxime Vindonissa Romanis habitata & culta aut rursus reparata, cum hostes evertissent, Neronis, Galbae, Vespasiani, Trajani, Hadriani, Antoninorum, Maximiniani, Constantii, Constantini, Gratiani, Valentis aliorumque. Notandum insuper gemmas antiquas varias vel Caesarum vel Deorum imagines exhibentes saepissime inter pomœria antiquae urbis inveniri, eruta etiam haud ita pridem in agro Olla aenea nummis, tempore potissimum Constantini cusis repleta, & in Bibliothecam Bernensem translata, erant autem nummi aenei tantum posteriorum Caesarum quos vocant moduli minimi. Possent huc referri antiquae Inscriptiones, quas exhibuit Guillimannus Lib. I. cap.

2. *Plantinus* in *Helvet. Antiq. & Nov.* pag. 278. quas autem, ne forsan lectori fastidium suscitetur, omittimus. Ex his verò facile colligi potest, tantum fuisse hominum in locis *Badæ Helvetiorum* proxime aditis numerum, ut thermæ inde splendorem & frequentiam acceperint. Accedebat ex altera parte *Tigurum*, urbs antiquissima & splendida, de cujus verò antiquitate & prisco jam tempore Romanorum statu dudum à Viris doctissimis omnia ea occupata sunt, quæ in hanc rem adferri possent: fuisse autem eandem illam Civitatem, quæ antiquitus *Turicum* dicta erat, probat antiqua Inscriptio in loco urbis edito ante paucos annos eruta, quam egregio Commentario illustravit Vir Cl. *J. G. Hagenbuchius* *Epistolar. Epigraph.* pag. 473. &c.

§. XXII.

Satis jam, quantum quidem auguror, probatum est, thermas *Helvetiorum* esse antiquissimas, atque prisco tempore à Romanis ipsis non tantum excultas, & ad genium populi victricis formatas, sed etiam frequentia hominum in locis vicinis ad majorem splendorem & famam fuisse perductas, ex his jam audacter concludi posse videtur, non peccare eos, qui asserunt, *Tesseræ Badenses* originem habere a tabernis lusoriis antiquissimo jam tempore *Badæ Helvetiorum* exstructis, quod satis indicant nummi veteres, in iisdem illis locis ubi *Tesseræ* fuere inventæ eruti: Ut autem dicam quæ sentio, non uno tantum tempore tabernæ illæ lusoriæ ibi fuere positæ & exstructæ & postea neglectæ, nec ex uno aliquo vel solo casu & everfione ingens ille *Tesserarum* apparatus fuit deperditus & terræ com-

missus, sed sæpius aleatorum apparatus idem subiit fatum : primum quidem illud est quod nobis Tacitus recenset, quod tempore Othonis & Vitellii contigisse Scriptor gravissimus memorat; æque verò lethale & funestum sequebatur excidium sub Diocletiano & Maximiniano Imperatoribus, quod ex priscis auctoribus describit *Franciscus Guillimannus*, in Habsburgicis Lib. II. cap. 2. pag. 44. mox ab initio, eo enim tempore prope Vindonissam accidit ingens illud prælium, quod nomine Lingonicæ Victoriæ, ubi omnes Vindonissæ campi strage & ossibus erant operti, apud priscos satis est memorabile. Has vero subversiones subsequabantur plurimæ quibus tota Helvetia à gentibus barbaris & ab omni humanitatis sensu remotis sæpius deleta & vastata fuit, & quis memoret incendia & singularum urbium damna & hostiles eluviones, in quarum enarratione integer libellus vix omnem miseriam & jacturam exponeret? Quis est, qui ex his non colligat, etiam leves illas Badenses tabernas lusorias varios casus & subversiones subivisse, quæ haud dubie est ratio, cur in eodem illo loco, ubi sæpius Tesseræ fuere inventæ, nummi non antiqui tantum, sed & posteriorum temporum bracteati, qui Gothicam omnino sculpturam, & inficeti seculi barbariem secum ferunt, fuerunt inventi, idque probat Vir Cl. Scheuchzerus, qui refert, quod sæpius in illo loco, ubi Tesseræ inveniuntur, simul etiam nummi bracteati eruantur: omnia ergo si conferamus, veritati admodum erit consentaneum dicere, substitisse in eo loco inde à tempore Romanorum ad inferiorem usque ætatem tabernas lusorias in
 usum

usum vel Civium Badensium, vel eorum, qui thermis salubribus uti voluissent, nec certe vel magno labore vel impensis opus erat, ad casas illas vel dirutas vel exustas iterum restituendas, & quoties illæ vel dirutæ vel collapsæ fuerant, novæ iterum substitutæ, in quas aleatores confluerent, in quibus genio suo indulgerent, aliosque artificio aleatorio argento emungerent.

§. XXIII.

Sat jam probationum ad antiquitatem thermarum Badensium probandam adductæ, remanet ut objectioni, quam forsitan nonnulli movere possent, obviam eamus, sunt enim non Tesseræ tantum Badenses, sed inventæ etiam in oppido, quod Scriptoribus mediæ ætatis *Certiacum*, nobis hodie *Zurzach* vocatur, ut & *Tiguri* in monticulo ad *Limagum* sito, qui vulgo *der Lindenhof* nominari consuevit. Sed hic scrupulus difficultatem non habet, atque facile hic nodus solvitur, si spectemus, quod uterque horum locorum jam tempore Romanorum fuerit notus & celebris, non equidem in eam concedimus sententiam, qua viri quidam docti putarunt *Certiacum* esse eandem illam urbem quam veteres *Forum Tiberii* nominarunt; sed *Certiacum* situm esse in confinio urbis quæ *Forum Tiberii* quondam vocabatur, nullum dubium, atque in hanc etiam sententiam abit *Guillimannus* de rebus Helvetior. Lib. 1. cap. 3. cujus verba damus. *Certiacum infra Forum Tiberii ejusdem ruinae celebrare ex quibus succrevit & nobilitatus est auctore maxime Certo, quodam Viennensi milite, qui forte in oppido antiquo aliquid muneris defungebatur, cujus memoriam in hac inscriptione ejus hæredes consecrarunt.*

M. JUNIO. M. F. VOLT. CERTO.
 DOMO. VIEN. VETERAN.
 MIL. LEG. XIII. GEMINÆ
 CERTUS ET AMIANTUS
 PII. HÆREDES. FECER.

*Ita hæc Inscriptio superioribus annis Certiaci legebatur, nam pars ejus lapidis nunc fracta & perdita. Hoc oppidum esse antiquissimum, res est extra omnem dubitationem posita, an autem ab hoc milite acceperit nomen, jam nolo disputare; Guillimanni equidem assertum veritati videtur consentaneum, situm illud fere ad Rheni ripam, hinc nil impedit quominus dicamus, fuisse ibi in vicinia oppidi Romani tabernas aleatorias, in quas varii generis homines ad ludum & comptationes concurrebant, quæ autem eodem forsitan tempore cum Badensibus fuere dejectæ & destructæ: Quæ autem sit origo Tesserarum quæ Tiguri fuere inventæ, non est difficile definire, cum Tigurum sit urbs antiquissima, tempore Romanorum egregie culta, & quondam *Turicum* cognominata, & quilibet per se facile colligere potest, & ibi fuisse tabernas publicas ludo aleari destinatas. Notandum insuper, quod tesserulæ inventæ sint eodem in loco, ubi ante paucos annos antiqua Inscriptio, quæ de vero & antiquo urbis nomine nobis fidem facit, fuit eruta, & quam egregio Commentario illustravit Cl. J. G. Hagenbuchius in Epistolis Epigraphicis jam supra laudatis pag. 475. & sequentibus.*

§. XXIV.

Constitueram equidem hîc finem ponere disquisitioni nostræ de Tesseris, sed verbum adhuc addendum videbatur ad tres quæstiones, quas mihi formari posse sentio. Prima est, qua-

re non etiam in iis locis ubi Tesseræ fuere erutæ, aliquid de reliquo apparatu aleatorio, qui tabulis, fritillis aliisque rebus constabat, fuerit inventum? sed responsio in promptu est; cum enim tabulæ fuerint ligneæ, & fritilli vel lignei, vel ex cornu bubulo facti, colligere per se quilibet potest, hæc brevi temporis lapsu in terra putredine fuisse exesa: unica, quantum mihi cognitum est, remansit tabula lusoria marmorea antiqua, quam exhibuit *Gruterus* & postmodum erudita interpretatione illustravit *Salmasius* *Commentar. ad Vopisc. Syrac. Histor. Augg. Scriptor. Tom. II. pag. 751.* Altera hæc est, quare veteres usi sint Tesseris ita forma exiguis? Ad hanc brevibus respondendum, veteres non unius generis Tesseras habuisse, locupletiores enim & honoratiores argenteis, crystallinis, & eburneis majoribus utebantur, hinc etiam adhibita distinctio inter *tesseras* & *tesserulas*, quam diversitatem notat *Varro de Re Rustica Lib. III. cap. 5: p. m. 335.* *Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum, eum ad consulem tractum.* Hæc etiam est ratio, quare istæ tesserulæ, quibus abjectæ conditionis homines utebantur, puncta fuerint dictæ, eas autem fuisse perexiguas etiam colligimus ex quibusdam locis veterum quæ adduxit *Bulengerus de Ludis Veterum cap. 58. p. m. 53.* Tertia hæc est, an sit verisimile, quod hospites illarum tabernarum lusoriarum tantam Tesserarum secum habuerint copiam, ut ad nostra usque tempora tantus Tesserarum numerus potuerit inveniri? Ex parte ad hæc jam responsum, & jam monitum, majorem Tesserarum Badensium, quæ exhibentur & circumferuntur copiam esse
 spu.

Spuriam & adulterinam, cum autem Tesserarum, quæ Tiguri & Certiaci fuerunt inventæ, numerus sit perexiguus, hæc quæstio de Badenibus tantum moveri potest, sufficiens etiam adducta est ratio, quare credamus longe plures omnino fuisse tabernas lusorias Badæ quam autem Tiguri & Certiaci, atque colligere quilibet potest, quod hospites illarum tabernarum omnino majorem Tesserarum copiam semper secum habuerint, ut novas semper in locum dispersarum & perditarum illico substituerent, Tesserarum autem pretium erat leve & jactura facilis, ut id colligimus ex *Aristophane* in *Vesp.* v. 292. pag. 290 edit. *Kust.*

- - - Ἄλλ' εἰπέ
 Τί βέλει με πρίασθαι
 καλὸν, ὅιμαι δέ σ' ερεῖν ἀ-
 στραγάλους δῆπεθεν, ὦ παῖ.

Sed dic, quid vis me emere, equidem putem te velle astragalos, mi puer,

Ad quæ verba optime commentatur *Flor. Christianus*, Comici interpret p. 132. *Vile fuisse Tesserarum pretium ex his satis apparet, quando senex pater puero recusat ficus emere, tanquam rem majoris pretii, quod tamen Athenis erat exiguum, & Tesserarum offert, quia adhuc minore constabant pretio.* Ingentem autem quondam copiam Tesserarum paratam & in alia loca deportatam esse ex Ægei maris insula, Siphno dicta, nobis testes sunt auctores. Sed satis de Tesseris, jam manum de Tabula.

T A N T U M.